



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 7. Quot modis tollitur obligatio voti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

tra Deum. Seclusis autem contemptu, scandalo, injuria, non esse per se mortale docet Suarez: quia, inquit, velle præcisè proferre verba vovendi sine volitione vovendi, non est gravis irreverentia, ac injuria Dei; & fictio non est respectu Dei, sed tantùm respectu hominum, quibus per illam potest fieri injuria levis. In votis tamen solemnibus, vel quæ fiunt in assumptione Statûs Religiosi docet, fictionem esse mortalem; quia in ea fit injuria gravis Religioni, & consequenter etiam Deo, & Ecclesiæ, & vix separari potest à gravissimo scandalo.

Q. 7. *Quot modis tollitur obligatio voti?*

Resp. Ex communi his. 1. Cessante causa finali, ob quam factum est; nam cessante causa cessat effectus. Cap. 60. de appellat. Seu cessante causa finali deficit intentio voventis, utpote deficiente proprio, ac principali motivo: & vovens non censetur voluisse promittere, & se obligare, illa cessante. Ut si jejunium per mensem voveris ad obtinendam sanitatem Patris, si hic moriatur, desinis obligari.

2. Materiæ desitione, vel mutatione notabili, ut si res promissa, antea honesta, fiat turpis, vel indifferens, vel impeditiva majoris boni, ratione novæ circumstantiæ,

aut

aut prohibitionis, vel si fiat impossibilis. Nam votum est essentialiter de bono meliori, & possibili. Item quando non potest servari sine gravi periculo mortis, vel gravis damni in bonis temporalibus, in Statu, vel honore, quod sit accidentarium voto, nisi constet ex natura voti, vel aliter voventem voluisse se in tali eventu obligare. Nam in tali casu materia non est eadem, nec voventes intendunt communiter tunc se obligare. Neque tunc est obligatio præstandi aliquid aliud loco rei promissæ; quia votum non obligat ultra intentionem voventis, quæ non est obligandi se ad aliud, quàm ad id, quod vovet, nisi illud fuerit in hoc inclusum saltem virtualiter. At voti obligatio non cessat ob difficultates postea obvenientes, quas si vovens prævidisset, non vovisset: nam ut notat Lessius, multi castitatem vovent, & Religionem profitentur, qui tales postea tentationes, ac difficultates patiuntur, quas si prævidissent, vovere nolissent: & tamen omnium iudicio non ideo desinunt teneri voto. Hæc enim omnia præcogitari poterant, ac debebant. Quod si non fecerint, sibi imputent, & media idonea adhibeant ad hoc, ut votum implere possint. Votum quippe obligat secundum mentem, quam vovens re ipsa habuit explicitè, vel implicitè, dum vovit, & secundum communem usum, ac sensum prudentum. Quare voti, vel jura-

Non 4. men

menti obligationem non tollit id, quod si antea accidisset, vel prævisum fuisset, impediret, ne fieret: sed requiritur mutatio ita notabilis, ut faciat quasi aliud objectum, ad quod voventis intentio prudenter ex circumstantiis præsumatur se non extendisse.

3. Irritatione, dispensatione, vel commutatione.

4. Defectu conditionis positæ, si votum sit conditionatum; quia vovens noluit se obligare, nisi conditione illa posita, & res non est promissa nisi sub illa conditione, ac proinde eam præstandi obligatio suspensa est, donec impleatur conditio, qua posita fit absoluta.

Si vovens voti conditionem honestam per dolum, fraudem, vel minas impediatur, peccat contra votum, & eo remanet obligatus; nam votum sub conditione aliqua honesta factum obligat ad rem promissam implendam, sub conditione illa, quæ à vovente non sic impediatur: ideoque etiam ad illam non sic impediendam, alioqui esset illusorium. Unde si vovens impediatur per vim, dolum, fraudem, vel minas, peccat, & voto tenetur, perinde, ac si conditio evenisset. *Ita Sanchez, Azor & alii multi apud illum.*

Sed quid si materia voti fiat impossibilis solum quoad aliquam partem, vel modum?

Resp. Tunc si commodè talis materia dividitur

vidi possit, & soleat, vovens tenetur ad eam partem, quam potest; quia censetur partes illas divisim promississe; nam voluntas censetur ferri in objecta secundum eorum naturam, & communem usum, nisi constet, oppositum expressè intendisse. Hinc si non potes dare pauperibus centum, quos promissisti, teneris dare decem, quos potes. Si verò res promissa dividi nequeat, aut non soleat, ad nil teneris: ut si voveris ædificare Ecclesiam, & postea non habeas pecuniam sufficientem, nisi ad ponenda fundamenta, ad nil teneris; quia partes Ecclesiæ non divisim, sed collectivè, tanquam unicum objectum, censuris promississe, nisi contrarium expressè intenderis.

Quid si actus non possit fieri solum quoad circumstantiam, seu modum, qui non fuerit intentus principaliter, nec ut conditio necessaria ad obligationem substantialem: tunc res promissa implenda est quoad substantiam; quia tunc substantia actus fuit principaliter, & absolutè promissa: circumstantia verò, seu modus ut aliquid accessorium: principale autem non debet impediri per defectum accessorii. Sic qui vovit jejunium in pane, & aqua, & potest solum servare jejunium ordinarium, ad hoc tenetur; nam jejunium quoad substantiam principaliter vovit, modum verò illum in pane, & aqua solum accessoriè. Secus, si quis non vovit substantiam actus, nisi de-

pendenter à tali modo, qui nequeat servari, ut sæpe fit, cum modus ille notabiliter minuit difficultatem actûs; nam tunc intentio actum faciendi non est absoluta, sed cum tali conditione, qua sublata cessat intentio se obligandi, ideòque obligatio: ut si vovisti ire Romam equò, vel rhedâ, & postea utrumque desit, non teneris ire pedibus.

Si verò modus, aut circumstantia sit solum possibilis, res autem principalis impossibilis cessat obligatio voti, quia non fuit intentio se obligandi, nisi dependenter à principali.

Cæterum si impossibilitas, aut impedimentum non sit perpetuum, eo postea sublato, votum impleri debet. Nam tunc solum suspenditur ejus obligatio; si verò sit perpetuum, cessat omnino obligatio voti, nec vovens tenetur in aliud commutare, nisi hoc vovisset.

Q. 8. Quenam vota, & à quibus irritari possunt?

Not. Irritatio voti est ablatio ejus obligationis, facta nomine proprio ab eo, cujus potestati subjecta est voluntas vovens, vel materia voti. Duplex est, alia directa, quæ directè cadit in votum, efficitque, ut votum sit nullum defectu conditionis ad illud requisitæ, scilicet consensus
ejus,